



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Resp. 4. Quilibet homo Angelum custodem habet à primo instanti suæ
nativitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

Et verò cum Deus Angelos custodes deputat hominibus reprobis, deputat non solum ut ab Angelis custodibus homines reprobi juventur ad salutem consequendam, si velint, bene utendo mediis aliis, tum internis, tum externis, à Deo oblati; sed etiam ut ab Angelis custodibus homines reprobi retrahantur ab hoc quod velint nocere electis, quantum possent; si ve, quod eodem redit, ut ab Angelis custodibus corercentur demones, ne instigationibus suis homines reprobos impellant ad tantum, quantum possent, electis nocendum. Unde angelica reproborum hominum custodia redundat in bonum electorum, propter quos proinde recte dicitur simpliciter, administratorios spiritus in ministerium mitti.

RESPONSIO IV.

Quilibet homo Angelum custodem habet à primo instanti suae nativitatis.

Prob. 1. Ex verbis Christi Matth. c. 18. *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis, &c.* Ex quibus verbis pater hominem adhuc parvulum, & ante usum rationis, habere Angelum custodem. Ergo habet à primo instanti nativitatis: non enim est ratio cur Angelum custodem non accipiat, nisi post primum, aut secundum, aut tertium, &c. annum à nativitate; neque minis indiget Angelo custode à primo nativitatis instanti, quam post primum, aut secundum, aut tertium, &c. annum à nativitate ante usum rationis; quia demon non minis potest ei nocere à primo nativitatis instanti, quam, &c.

Prob. 2. Autoritate S. Hieronymi verbis supra relatis in Resp. II. & S. Thoma hic q. 113. art. 5. in O. qui tertio loco, hanc proponit objectionem: *Pueri ... cum sunt in utero materno, non deputantur eis Angeli ad custodiam. Non ergo statim à nativitate hominibus Angeli ad custodiam deputantur.*

Sic autem respondet: *Dicendum, quod puer, quando est in materno utero, non totaliter est à matre separatus, sed per quandam colligationem est quodam modo adhuc aliquid ejus: sicut & fructus pendens in arbore, est aliquid arboris. Et ideo probabiliter dici potest, quod Angelus qui est in custodia matris, custodiat prolem in matris utero existentem. Sed in nativitate quando separatur à matre, Angelus ei ad custodiam deputatur.*

RESPONSIO V.

Angeli nunquam totaliter deserunt in hac vita homines, ad quorum custodiam deputati sunt.

Ita S. Thomas hic q. 113. art. 6. qui hanc assertionem sic probat in Sed contra: *Demonones nos semper impugnant, secundum illud 1. Petri 5. Adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quaerens quem devoret: Ergo multo magis boni Angeli semper nos custodiunt.* Et in O. art. Custodia Angeli ... est quedam executio divina providentia circa homines facta. Manifestum est autem, quod nec homo, nec res aliqua totaliter divina cura subtrahitur ... sed in tantum Deus secundum ordinem suae providentiae dicitur hominem derelinquere, in quantum permittit hominem pati aliquem defectum vel poenae vel culpe. Similiter etiam dicendum est, quod Angelus custos nunquam totaliter dimittit hominem, sed ad aliquid interdum eum dimittit: prout scilicet non impedit, quin subdatur alicui tribulationi, vel etiam quin cadat in peccatum, secundum ordinem divinorum judiciorum.

Obj. Angeli apud Hier. cap. 51. dicunt: *Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.* R. Cum S. Thoma ibidem: *Secundum hoc Babylon & domus Israel ab Angelis derelictae dicuntur, quia Angeli earum custodes non impediverunt, quin tribulationibus subderentur.*

Obj. Patres aliqui docent homines peccando, Angelos custodes à se repellere. R. Non sic Patres illos

loqui, quod Angeli custodes omnino discedant, sed quia in poenam peccati commissi aliquid de actuali custodia exercitio remittunt, & quidem secundum divinorum judiciorum ordinem.

Obj. Angeli custodes aliquando in Caelum redeunt. Ergo aliquando nos derelinquunt. R. Cum S. Thoma art. citato ad 3. *Angelus est interdum derelinquat hominem loco, non tamen derelinquit eum quantum ad effectum custodia: quia etiam cum est in caelo, cognoscit quid circa hominem agatur. Nec indiget mora (longa scilicet) temporis ad motum localem, sed statim potest adesse.*

RESPONSIO VI.

Singula Regna habent Angelos custodes.

Prob. Ex communi Patrum consensu. Pro Graecis Patribus sit S. Basilii lib. 3. cont. Eunom. ubi sic loquitur: *Angeli omnes, ut appellationis unius, sic ejusdem sunt naturae inter se: atamen alii ipsorum gentibus praepositi sunt, alii vero fidelium singulos consequuntur. Quanto autem gens uni viro praeposita est, tanto majorem necesse est Angelis, qui gentis principatum habeat, esse dignitatem, dignitate eorum, quibus singulorum tutela commissa est. Quod vero rursus sint quidam Angeli universarum gentium praepositi, Moyses nos per Canticum docuit. & sapiens Daniel in visione Angeli audivit ipsum dicentem: Quoniam Princeps regni Persarum restitit mihi: & ecce Michael unus de Principibus primis venit in adiutorium meum, &c.*

Pro Latinis verò sit S. Hieronymus in commentar. ad cap. 7. Danielis, ubi sic ait: *Quatuor ventos caeli, quatuor arbitror Angelicas potestates, quibus principalia regna commissa sunt. Et in comment. ad cap. 10. ubi haec habet: Restitit autem Princeps, id est, Angelus Persarum, faciens pro credita sibi provincia, ne captivorum omnis populus dimitteretur. Singulas etiam dioeceses habere suos Angelos tutelares, docebat Origenes homil. 20. in Num. Secundum ea, inquit, quae Joannes in Apocalypsi scribit, unicuique Ecclesia generaliter Angelus praest. Et S. Ambros. lib. 2. in Luc. Non solum Episcopos, inquit, ad tuendum gregem Dominus ordinavit, sed etiam Angelos destinavit. Et S. Gregor. Nazianz. orat. 32. Nec enim, inquit, mihi dubium est, quin alii (Angeli) aliarum Ecclesiarum praesides ac patroni sint, quemadmodum in Apocalypsi Joannes me docet.*

Quod si particulares Ecclesiae suos Angelos tutelares habent, à fortiori dicendum est universalem Ecclesiam suam quoque tutelarem Angelum habere. Hunc autem esse Michaelem Archangelum, quem etiam Synagoga praefuisse docet vetus Scriptura, communis est fidelium sensus, & probant, 1. variae ejusdem Michaelis apparitiones, tum in Occidente tum in Oriente factae. 2. Plurima Basilicae in toto terrarum Orbe in illius, ut universalis Ecclesiae principis & patroni, honorem edificatae.

Quaes. Utrum singuli homines, sicut habent Angelum custodem, ita etiam habeant demonem tentatorem.

Resp. Quod singulis hominibus demonem tentatorem, non quidem Deus, sed Lucifer, Dei simia, deputet, docuere 1. inter veteres Patres nonnulli, ut S. Gregorius Nyssen. in lib. de vita Moysi, ubi haec scribit: *Est sermo ex majorum traditione fidem sibi vindicans, qui dicit ... Deum ... Angelum quemdam ex iis, qui naturam corporis expertem sortiti sunt, adhibuisse ad uniuscujusque vitae tutelam ac praesidium: at ex adverso naturae corruptorem (Luciferum) pari machinatione contra niti, & pravo quodam ac malefico adjuncto demone, humane vitae perniciem afferre.* 2. Magister lib. 2. dist. 11. & cum eo alii Scholastici tum veteres aliqui, tum recentiores non pauci.